



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæstio 3. Quomodo virtutes cœlorum mouebuntur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

ἀποκαταστήσει τοὺς δίκαιους καὶ οὐκ ἀδικῶν αὐτὰς πα-
ρῶν. ὁ δὲ μὴ ἐκ τῆς πίστεως κατέχει τὴν ἐσχάτην οὐραν-
οῦ.

Idem: Quorum dierum? Antichristi scilicet & fal-
sorum prophetarum? Magna enim tunc tribulatio
futura est, cum ita multi futuri sint seductores, quam-
vis non longis temporum spatii perdurabit. Nam si
bellum aliud aduersus Iudæos propter electos bre-
uiori tempore fuit dissolutum, quanto magis propter
eos ipsos contrahetur illa tentatio? Propterea non di-
xit post tribulationem, sed addidit statim post tribu-
lationem: ita ferè simul omnia peraguntur, & pseu-
doprophetis & pseudochristis perturbantibus con-
fessionem ipsi aderit.

Nihil alienius est, quam hominibus dicere statim
futurum quod longe futurum est.

§. 2. Solis & Lunæ obtenebrationem nonnulli me-
taphorice interpretantur, alii propriè; omnes tamen
dòti signa iudicii sequentis esse asserunt. Aug. Epist.
30. de Ecclesiæ oppressione interpretatur, sublatò in-
significatio, cunctisq; valde affinis. Causas habet;
Non enim tam horrenda sunt signa illa in solis & lunæ
obscurationibus, & sæpe visa sunt, non ergo nunc ea
horrendere conuenit, quæ sepe euenire consueuerunt.

Deinde videtur ex illis dies Domini certus appa-
reri. Quin solent in prophetis accipi Metaphorice
Ezech. 32. 7. Joel 2. 20. Amos 8. Ezech. 32. Ambrosius in Lucam expositionem
spiritalem adhibet, sed literalem quasi certum, & hi-
storiam constituerat. Hilar. Hieronymus, Orig. tra-
cta. 30. Theod. Rupert. Beda veram solis & lunæ tene-
brationem agnoscunt: & recentiores omnes. Proprie
enim Scriptura accipienda est, cum nihil priorio sen-
sui obstat. Deinde Lucas ait fore signa in Sole & Lu-
nâ, quod non potest nisi planè coactè de Ecclesia ex-
plicari, & ne dubitemus cum propriè loqui, addit: &
in terra pressura gentium, præ confusione sonitus maris & flu-
tuum, ardentibus hominibus præ timore, &c. Quin Petrus
ait, celus magno impetu transiuros, Græce ἐκείθεν cum
Aristotele Epist. 10. & v. 11. omnia dissoluenda sunt, &
v. 12. retardantes solentur. & v. 7. Igni reseruatò dicitur in
dum latet. Non igitur mirum si obscurentur Sol &
Luna, & celi exurentur, strideant, omnia turbentur.
Quod ad similes prophetarum locationes attinet. O-
mnino loco citato. Cyprianus ad Demetriadem, Chry-
sost. Petrus ad Theod. lapsus. Tertull. de resurrect.
carnis c. 22. propriè interpretantur, & ipse Augustinus
fatur talia frequenter contigisse; at nunc maior erit,
horribiliorque obscuritas; nec inde certus dies colligi
potest iudicii, sed non multum abesse: scitote, inquit,
quia prope est in ianuâ. Quomodo obscuranda, sunt lu-
mina illa magna, comitatus potius, quam senten-
tiæ exponitur. Alii luce suâ naturali priuanda, alii so-
lum effectum illuminationis impeditum iri. Alii op-
positum siderum aliorum; alii nubium concursu lu-
cem auferendam, alii Eclipses varias arbitrantur fore.
auctores & loca recensere in re incerta, non est operæ
pretium.

QVÆSTIO II.

Quomodo stelle casura sint?

§. 1. Causam stellarum comment. Hierony. & Beda
aliiq; retractionem luminis ex Ioele interpre-
tantur. c. 3. Et stelle retraxerunt splendorem suum. Origenes
videre existimat, quod à lumine nō sustineantur. Alii
meteoris ignita, cometas, & stellas cadentes quas vo-
cant, fore putant. quamvis enim non propriè cadat
stella, porrit tamē cecidisse videri. Causa vero cur stel-
lae cadere nō credant, est triplex: Quod graues nō sint,
& inane corruptibiles, quæ adeo magnæ, vt totā terram

obruerent. Verum illa peripatetica dogmata hæc qui-
dem in causa locum non habent. Non enim naturalis
rerum ordo iam perseuerat, sed diuinā potentiā mu-
tatur, & mundi perituri signa præcedunt. Quemad-
modum igitur sonitum maris & fluctuum, Solis, &
Lunæ tenebras propriè interpretamur; ita stellarum
quoq; lapsus eadem manu Dei vibratas dicemus, id-
que contra naturam, quemadmodum Solis & Lunæ
tenebræ naturales illis corporibus non sunt. Quod si
stellas negamus cadere, & ad tropum refugimus, ne
terram obruant, aut etiam exhalationes esse dicimus,
causam dicere non possumus, cur in Sole & Luna ver-
borum proprietatem retineamus. Auelluntur igitur,
& erunt decedentes: contra naturam fareor, sed & Sol
contra naturam obscurabitur. Neq; necesse est inter-
ram cadere stellas integras, neq; hoc dicitur, satis est, si
longissime spacio descendant, aut collisione, aut an-
geiorum opera, nec tamen negauero, vel partes stella-
rum, vel intergras stelulas, quarum est numerus innu-
merabilis decuti, quas enim nos videmus maiores
sunt, quam terrâ capi possint, cum minimæ earū mul-
tis partibus terram superet. At paruula, quæ v. gratia
lacteam viam constituunt, aut partes maiorum, deci-
dent. At erit contra naturā, scilicet verendum ne Deo
id non liceat, qui montes suspendit subter labentibus
vndis & naturarum pugnas quotidie spectat, quarum
multæ quotidie naturam, contra naturam amittunt,
quod nunc in parte, in illa die fiet in vniuerso, quem
commotiones stellarum vt dixi antecedent. Stella um-
casus propriè interpretor, nec mirum, cum celi ar-
dentes soluendi sint. Nec audio hic Aristotelem, cui
cælum ideo est inco-ruptibile, quia est ingenerabile. hic non au-
di si factum esse mundum intellexisset, etiam corrumpi diendum.
p. si deuenisset. Miror sane quosdam philosophorum
illam firmiter inhaerere, cum rationes eius necesse
est refutare oporteat.

QVÆSTIO III.

Quomodo virtutes calorum mouebuntur?

§. 1. Virtutes Græcè vocantur δυνάμεις, potestates
siue potentia. Nec agitur hic de energia &
efficientia, quæ res ipsæ ad agendum concitant, vim-
que suam exerant, sed de violentia, quæ ab extrinseco
fit, concussionem. Hoc enim indicat dictio οὐρανὸς ὁρ-
ται, concutientur, fluctuabunt, vt debiles, quiq; in lubri-
co pedem figere non possunt, aut vt nauis in mari flu-
ctuat. Ex quo constat non esse angelos orbium moto-
res, vel exercitus alios angelorum, iudicium quodam-
modo horrentes, ob eius seueritatem. Angeli enim iu-
stique omnes gaudebunt, summaq; exultatione exspe-
ctabunt diem illum, in quo Dei iustitia clucescet, &
quemadmodum terrentur demonum tormentis, &
damnatorum ira nec seueritate iudicii. Chrys. August.
serm. 130. de tempore, Oecum. & alii hanc sententiam
probabilem existimant. Etiam cælestes ministri pau-
bunt, & formidine contremiscent, vt putat Augusti-
nus. Verum cum de se securissimi, damnationes quo-
tidie audiant, videantque supplicia, cum in damna-
tione Babilonica meretricis Deum laudent, & il-
li, & sancti omnes, nolim illis aliquem pauoremi
tribuere. Cum etiam commotio illa iudicii antecedi-
t. Si angelos motores intelligendos sic arbitremur,
sic accipiendum esset, vt ipsi cælum alio modo mo-
uentes, quasi fluctuarent, verum quocumque cæ-
los moueant, ipsi immobiles persistunt, neque οὐ-
ρανὸς ὁρται. Alii virtutes calorum dicunt stellæ; ca-
rum enim lux est, viresque, & influentia in hæc in-
feriora, hac in sententia hoc solum difficile est,
quod Dominus, iam stellas nominat expresse,
vt causa non videatur, cur iterum obscure vocet
virtutes.

Stellarum
casus.

Quæ stella
casura.

Aristoteles
hic non au-

Virtutes
calorum.

virtu-

virtutes, cumque castris de celo dixerit, cur nunc mouendas dicat. Vocantur quidem militia celi Isai. 34. Tabescet omnis militia eorum, quae verba de extremo iudicio Patres interpretantur Epiph. in ancor. Euseb. l. 11. de praepar. c. 17. Tertull. contra Heimo. c. 34. Iustin. q. 73. ad orthodoxos.

§. 2. Cum igitur nec angeli sint, nec stellae, ipsos celos potentes seu robur, & firmamentum caelorum mouendum Christus dicit. Iob. 22. 14. cardines caeli, sicut Deut. 30. 4. cardines terrae, & Iob. 36. 30. cardines maris, itaque ratio obscuritatis solis & lunae, & cadentium stellarum pronuntiatur; ipsa enim caelorum fundamenta, & tota corpora quantentur, poli locis suis emouebuntur, ut sit quaedam corporum caelestium confusio. Iob. c. 26. 11. columnas caeli appellat.

VERSVS 30.

Et tunc parebit signum Filij hominis in caelo: & tunc plangent omnes tribus terrae: & videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa & maiestate.

QUESTIO I.

Quod signum filij hominis?

§. 1. **M**agno consensu de signo crucis interpretati sunt Patres. Chrysost. Tunc apparebit signum filij hominis in caelo. Hoc est, crux ipsa: crux enim sole fulgentior videbitur: obscuratur enim sol, crux autem apparebit: quod fieri non posset, nisi solares radios splendore superaret. Cuius autem rei gratia istud signum apparet? ut magno cumulo ludaeorum impudentia opprimatur, crucem in suam iustificationem secum habens, in iudicium veniet. Non vulnera solum, sed etiam acerbum ac ignominiosum mortis suae genus ostendens: tunc plangent tribus, non enim accusantibus opus erit cum crucem viderint. Plangent igitur quia ex morte ipsius nihil profecerunt, quia crucifixum, quem adorare oportebat, contempserunt. Vides quomodo terribiliter aduentum suum descripsit? quomodo animos discipulorum suscitauit? idcirco prius tristitia posuit, deinde iucunda commemorat, ut vel hoc modo eos consolaretur. Ceterum passionis rursus atque resurrectionis ex praestantiori habitu crucis meminit, ut etiam non pudeat eos, nec dolor inuadat, cum in signum tum proponenda sit. Alius autem videbunt, inquit, in quem pupugerunt, propter quod utique, plangent tribus videntes quod ille ipse sit, quem crucifixerant. Verum quoniam crucis mentionem fecit, ideo subiicit: quia videbunt filium hominis non in cruce, sed venientem in nubibus caeli cum virtute & gloria multa. Noli enim credere, quia crucem audisti, tristem & amarum futurum, sed cum virtute & gloria magna venturum, non dubita. Crucem autem secum habet ut peccatum ipsum sine accusatione condemnatur veluti qui lapide percussus ipsum lapide vel cruentas vestes in testimonium ostendat. Veniet autem in nube sicut assumptus est: haec omnia tribus videntes, flebunt, sed mala sua non in solo fletu terminabuntur. Et fletus quidem erit, ut a seipsis proferre sententiam & seipso condemnare aspiciantur.

Et Augustin. tract. 118. in Ioan. Postremo quid est, quod omnes nouerunt signum Christi, nisi crux Christi? Quod signum, nisi adhibeatur, siue frontibus credentium, siue ipsi aqua ex qua regenerantur siue oleo, quo chrismate unguuntur siue sacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.

Signum
crux.

Signum enim notum esse debet, quod proprium est Christum signum, quod velut regum vexillum, i-

plum iudicem antecedit. Tale signum non est aliud, nisi signum crucis. Apparebit autem & regna, alii dicunt, & regna in caelis, & regna in splendore, & regna in virtute. Nondum ita nota crux erat discipulis, ut signum aut vexillum regum iudicarent: itaque certum aliquod signum fore indicantur, ipsis tamen quidem ignotum, ut recte Iohannes monet. Tota tamen Ecclesia est in hac sententia. Hoc signum crucis erit in caelo, cum Dominus ad iudicandum venerit. Vide hoc loco Chrysostomus. Bedam. Consolationi erit iustis, qui tanto precio redempti sunt, & impiis terrori, qui tantam neglexerunt salutem. Ideo plangent se, & collis palmis, & pro dolore & poenitentia peccata sua detestabuntur.

§. 2. Eadem illa crux, in qua dolores & mortuus Christus sustinuit: Ita ex Sibylla.

O lignum felix in quo Deus ipse pependit.
Nec te terra capit, sed caeli tecta videbit.

Cum renouata Dei facies ignita micabit.
Ita Thom. Wald. 3. p. tit. 20. c. 18. 11a & S. Ephrem. de poenit. cap. 4. Magna luce praecedet, vel ab angelis deferetur. Anselmus praefendum existimat. Ex quo etiam Bell. lib. 2. cap. 28. de imaginibus probat. Crucis honorem haberi posse, qui tamen ad Christum transferatur.

§. 3. Ne crucem Caluinus admittat, ipsum Christum a fore signum, & velut vexillum, totius mundi intuitu in se conuersum. Bulling. signum, ait, remanet filij hominis in iudicium. Allusit, inquit, ad morem regum, principum seculi qui in militiam ac pugnam egrediuntur, prima ad qua miles spectet, ac congregetur, proferunt. Signum igitur aliquod est, quod iudicem praecedat, non ipse iudex. Zwinglius vero parum conuenienter. Metaphoricam locutionem ait, Periphrasim esse accitum & aduentus professionis diuinae. Ervirdus Daner. edet. Jochen aufstecken, ergo certissime veniet. Signum apparebit, hoc est praeparas se, iam veniet. Erigit signum. Adit autem, solum duces primum signa erigere, & exere, antequam exercitus p. officiat. Signum igitur aliquod Christus exieit, apparuit signum filij hominis, cuius aspectu plangent omnes familiae terrae, deinde videbunt filium hominis. Si sane diceretur, iam apparuit signum imperatoris, & timuerunt hostes, & tunc videbunt imperatorem venientem: nemo sanus non distinguere Imperatorem a signo Imperatoris.

§. 4. Mirum autem est, quodam esse tam inimicos crucis Christi, ut cum dicit Scriptura, signum filij hominis apparitum, & visus os filium hominis ipsi negent, signum apparitum praeter filium hominis, cum idem Eucharistia ubi est filius hominis, signum filij hominis imaginentur.

QUESTIO II.

Quomodo veniet filius hominis?

§. 1. **M**agna gloria. Veniet autem in nubibus, sicut ascendit. Magna corporis, & animi gloria exten- no etiam splendore. Nam c. 25. omnes angeli cum eo. Omnes enim in iudicio tanquam re omnium maximi assistent, vide Dan. 7. Soarez us noster in corporibus assumptis venturos putat; sic enim & tubamini- bunt, & sic ascendente Domino apparuerunt. De angelorum frequentia, Dionys. c. 14. caelestis hierarch. ex Zachar. & Iuda Epist. Ex quo etiam apparet Christi diuinitas in cuius ministerio sint omnes angeli. Cetera quae ad maiestatem pertinent aliis in locis propriam habent expositionem.

VER-